UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Bono presbytero [€t] socijs martyribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

Euſebius epiſcopus ⁊ martyr ſemp virgo exiſtens: dū adhuc cathecuminꝰ eēt: ab euſebio papa baptiſma ſuſcepit ⁊ nomē. In quo baptiſmo manus āgelice viſe ſunt: que ipſuz de ſacro fonte leuauerunt. Matrona quedam eius pulchritudine capta: cum ipſius cubiculum adire vellet: cuſtodiētibus angelis puenire non potuit: vnde facto mane ab eo veniam poſtulauit. Ordinatus pſbyter tanta ſanctitate emicuit: ꝙ dū celebraret: ſepius ei angeli miniſtrarēt. Cumq; arriana peſtis italiam totā inficeret: imperāte conſtantio eidem hereſi fauente: iulianꝰ papa euſebium in vercelleſi. epiſcopum conſecrauit: que tunc inter vrbes italie quodāmodo principalis erat. Quod audiētes heretici fores eccleſie clauſerunt. at euſebius vrbem ingreſſus āte oſtiū maioris eccleſie: que eſt dei genitricis genua flexit: et omnia oſtia ſua mox oratione reſerauit. Auxentium mediolaneſi. epiſcopuz arrianum de epiſcopatu eiecit: ⁊ dionyſium ei catholicum ſurrogauit. Quapropter indignatus conſtantius imperator multorū epiſcoporū concilium ordinauit: ⁊ dionyſium epiſcopū accerſiuit: multaſq; ad euſebium epiſtolas deſtinauit: qui ſciens maliciā in multitudine preualere venire contempſit: ſed ſuā ſenectutē oppoſuit: vñ imperator ↄtra eius excuſationē ſtatuit in mediolaneſi. ciuitate: que prope erat conciliū celebrari: vbi cum euſebium deeſſe vidiſſet: iuſſit arrianos fidem ſuā deſcribere: ⁊ dionyſiū epiſcopum mediolaneſi. ⁊ vigintinouē epiſcopos catholicos cōpulit ſubſcribere: quod audiens euſebius mediolanū acceſſit: ⁊ multa ſe paſſurum predixit. Cum autē ad quēdam fluuiū exiſtens in itinere perueniſſet: nauis ex alia parte fluminis exiſtens: eo iubēte per ſe ad eū venit: ⁊ ipſum cum ſocijs ſine gubernatore tranſportauit: cui predictꝰ dionyſius obuiauit: ⁊ ad pedes eius procidens veniā poſtulauit. Cū ergo euſebius ab imperatore: nec minis: nec blandicijs flecti poſſet: vt chirographo arrianoꝝ ſubſcriberet: quin potius euſebius chirographum ſibi ad ſubſcribēdū traditū cōbuſſiſſet. Iratus conſtantius euſebium tradidit arrianis: quem protinus de medio aliorū epiſcoporum raptum diutiꝰ flagellarūt: et per gradus palatij a ſummo in imū ⁊ ecōtrario traxerūt. Cūq; quaſſato capite multū ſanguinis effudiſſet manibꝰ poſt tergum vinctis ipſum per collū fune trahebāt. Tunc cōſtantius imperator omnes epiſcopos catholicos: qui eius exēplo fuerāt animati exilium miſit. Euſebium ꝟo apud ſcythoplim vrbē paleſtine arriani duxerunt: ⁊ ipſum in quodam cubiculo adeo artiſſimo recluſerunt: vt eēt illo lōgitudine breuior: latitudine artior. ita vt curuatus nec pedes extēdere: nec ſe in latus vertere poſſet. Sed poſt modicū conſtantio defuncto: iulianus eidem ſuccedens: ⁊ omnibus placere volens: iuſſit omnes pacifice quacūq; lege ſibi placita perfrui. Et ſic euſebiꝰ inde exiuit: ⁊ ad athanaſium alexandrinū epiſcopum perrexit. ¶ Poſt aliquot annos ſopitis arrianis ſub iouiniano imperatore vercellas rediit: quē populus cum exultatiōe ſuſcepit. Sed rerum regnante valente arriani repullulāt: qui euſebiū extra domū ſupinū traxerūt: et ipm lapidibus obruerunt. Sepultus in eccleſia quam ipſe conſtruxerat kalē. auguſti. cū eſſet annoꝝ. lxxxviij. circa annū domini. cccccl. Qui inter cetera talē gratiā ſue ciuitati obtinuit: vt nullus arrianus ibidem viuere poſſit. Hic in pſalmos commentarios edidit ⁊ alia opuſcula fecit: vt ait hieronymus libro de illuſtribus.

¶ De ſancto Bono preſbytero ⁊ ſocijs martyribus. Cap. vi.

Bonus preſbyter: fauſtꝰ ⁊ maurus diacones: primitiuus ⁊ calūnioſus ſubdiacones: iohannes exuperantius: quirillus: ⁊ honoratus clerici. Paſſi ſunt rome ſub valeriano ⁊ galieno iperatoribus. Hi et numero clericorum fuerūt. Quos beatus ſtephanus papa ordinauit. Cum enim predicti imperatores ſummo ſtudio beatū epiſcopum vel eius clericos requirerent: poſuerunt edictum in locis celeberrimis vrbis preconizariq; fecerunt: vt quicūq; papam vel eius clericos agnouiſſent vbicūq; latere ſtatim imperatorum auribus diuulgarent. Qua de re prefatos nouem repertos ac detētos iuſſit imperatores ſine vlla audiētia decollari. Qui decollati ſunt via latina iuxta ſuorum aqueductus. Quorum corpora tertulinus licz adhuc gētilis ſepeliuit in ipſo loco iuxta corpora martyrū iouini et baſilei kalen. auguſti.

¶ De ſanctis Sophia ⁊ filiabus eius virginibus ⁊ martyribus. Cap. vij.

Sophia mulier et tres filie eius virgines: fides: ſpes: et charitas. Rome paſſe ſunt ſub Adriano ipatore. Hec matrona xpianiſſima de italico ſolo: cum predictis tribꝰ filiabus ſuis ad vrbē veniēs: mltas femīas ad fidē ↄuertit: ⁊ exēplo ſue caſtitatis plurimas mulieres xpianas effectas a conſortio maritoꝝ ſubtraxit. Quapropter ad ſuggeſtionem antiochi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN